CORONA
DIGNITATIS
SENECTUS
In Viis Justitiæ
REPERTA,



Perillustrem & Admodùm Reverendum Dominum
D. ADALBERTUM BILENSKI
Foraneum Zyvecensem DECANUM, Ecclesiæ Parochialis in Łodygowice CURATUM.
CONCERNENS,
Qui cùm
Post Quinquagesimum Regalis Sacerdotii Annum,
Secundas Sacrosancti Altaris Sacrificii in Ecclesia Parochiali Łodygowicensi Primitias celebraret

à
M. FRANCISCO TOMECKI
in Alma Universitate Crac: Philosophiæ DOCTORE Poeseos in septimum Annum PROFESSORE, Contubernii Starnigeliani SENIORE, S. R. Majestatis SECRETARIO, Luci publicæ
PRÆSENTATA,
Annô quô.
Magna Deo ConCessa saLVs Vernabat In Ipso Mense Februario.

CRACOVIÆ, Typis Semina: Episcop: Academico-Diæcesani,
m.D.CC LVV II



AD

Perillustrẽ & Admodúm Reverendũ Dominũ.

D. JOANNEM NEPOMUCENUM

KLECZYNSKI

Utriusq; Juris DOCTOREM, Ecclesiarum: Collegiatæ Tarnoviensis DECANUM, Parochialium: Sancti Spiritûs Becensem PRÆPOSITUM, in Kobylanka CURATUM, Dignissimi NEOMYSTÆ ex Sorore NEPOTEM.

DEDICATORIA PRÆLOCUTIO

O*Pella, quam perpetuæ gratitudinis ergò in Veteranum NEOMYSTAM conscripsi, Tibi aliquo jure debetur.* Perillustris & Adm̃ Rñde Domine Benefactorum Optime. *Si enim rationem præteriti, & quod vivimus, expendas, temporis, diffiteri non poteris, Te in vita conspicuum, in honoribus illustrem, in rectegestis commendabilem, sub auspiciis inclaruisse SENECIONIS Dignissimi. Illius quippe gravis auctoritas, Religio, pietas, sanctimonia, jure quodam hæreditario ad Te devolvi videntur. Tua verò singularis industria, solers ingenium, salubre in peragendis negotiis consilium nedum me allicere, sed impellere quoq; ad Tui venerationem censetur. Quemadmodum palmam non erigi inusitatū, ita Virum qui doctrinæ splendore præstat, eruditione antecellit, ad famæ sublimem gradum non evehi, insolitum & incredibile existimatur esse. Si verò intima propensæ meæ in Te voluntatis desideria profundiùs respicias, multarum gratiarum me habes debitorem. Quousq; nimirum ego in Tuo patrocinio sum constitutus, non potero Tibi*

vitæ

vitæ meæ promptiores testes proferre, quàm aliquantos labores meos: in quibus non tantùm ingenium, quod quidem sentio quàm sit exiguum, aut præstantiam literarum, à quibus ego confiteor me nunquam abhorruisse, sed grati animi, specimen intueri licebit. Qua Tu me humanitate dignaris, beneficiis ornas, protectione foves, amore complecteris, auctoritate tueris, pari grati animi significatione Tibi addictissimum me nosce clientem. Sed unde orsus, in eo sermonem meum finio: Opellam hanc Perillustris Domine *venerando Nomini Tuo inscripsi, quam, nisi Tu, nisi Cognatus NEOMYSTÆ esses, vix sparsissem. Hanc ergo qualis illacunq; sit, in venerandam Dilectissimi Avunculi Tui senectutem concinnatam suscipe, quam in conspectum Tuum adferens, Deum Ter Optimum Maximum supplex oro & obsecro, ut longissimos in annos felix, salvus, superstes; Ecclesiæ Clientibus, Amicis, vivas, vigeas, senescas: utq; omnes vitæ meæ rationes Tuo sub patrocinio tutissimè conquiescant.*

ita precor

Author Operis

Beneficiorum gratiæ ad donantes revertuntur *S. Basil. M.*

Major utilitas accedit benefacienti, quàm beneficium accipienti. *Joan: Chrys:*

Non est dignus beneficium consequi, qui de acceptis beneficiis gratias non agit, *S. Thom. Aqui.*

Gratitudo fortissimus & vigilantissimus est custos gratiarum. *Baeza.*

Meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere. *Cassiod.*

Non est dignus dandis, qui est ingratus de datis. *S. August.*

CORONA
Dignitatis
SENECTUS
In Viis Juſtitiæ
REPERTA.

MUlta moleſta Senē quatiunt incomoda multa;
Accumulata quibûs nimis eſt deflebilis ætas.
Nam poſt cùm validis quaſſatum viribûs ævi
Corpus, & obtuſo ceciderunt robore membra:
Deficit ingenium diſcordat linguaq; menſq́:
Omnia ſubſidunt, atq́: uno tempore deſunt.
Jam tunc deterior canîs aſpergitur ætas,
Inficit atq́: nigros crines albata Senectus,
Iam vigor & quaſſo langvent in corpore vires,
Gaudia non poſſunt juveni pergrata, juvare,
Nec, quem ſi ſubitó videat, cognoſcere compos
Et ſic ætatis fit tanta ruina ſenilis.
Jam minor auditus, guſtus minor, ipſa minora,
Lumina, vix tactus potis eſt cognoſcere certa.
Nullus dulcis odor, nulla eſt tam grata voluptas,
Exhilarare ſuo quæ triſtem poſſit in uſu.
Cogitur à gratis animum ſuſpendere rebus
Quiſq́: SENEX, cujus ſubeunt oblivia mentem.
Si libros repetit duplex ſe litera findit,
Largior occurrit jam pagina nota legenti.

Quæ

Quæ modò profuerat, contraria redditur eſca,
Faſtidita jacet contemptaq; dulcis odore.
Laudat præteritos præſentes deſpicit annos,
Quod ſapit, hoc rectum ſolũ putat eſſe probumq;
Hæ ſunt primitiæ fatorum, his partibûs ætas
Defluit, & pigris attingit paſſibûs ima.
Iſta ſenum ſeniiq; criſis non omnibus una,
Abſit ab impavido clarorum corde Virorum,
Quos annîs gravidos reddit provectior ætas,
Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela,
Non ita robuſtus tutabitur enſe ſatelles
Res hominum proprias, ut prædita vita ſenectâ
In commune bonum ſanis rationibûs acta.
Ætas in ſenio vita immaculata vocatur *
Virtutum ſerie ſanctarum rite repleta.
In nos nonne Senum mitis clementia regnat?
Nonne favor placidi recreat nos pectoris amplus
Comis amabilitas, facilis reverentia vultûs,
Ac delectus honor recta de fronte modeſtus,
Eloquii gravitas in tempore: gratia lingvæ
Plena, joci faciles, hilares vocesq; ſalesq;
Ille juvandi ardor, ſtudium ſinè fraude merendi;
Menſq; priùs nocitura ſibi, quàm cũiq; Clientum.
Conſilio devota manus, prudentia falli
Neſcia, ſimplicitas docilis non fallere quenquam
Relligio, pietas, recti tenor, ardor honeſti,
His inquam claret donîs veneranda Senectus,
Vir-

Virtutum ſpecimen, meritorū digna CORONA
Hac ætate Senex cúm ſacras rurſus ad Aras,
Poſt quinas ævi decades, ſic Cælitus actas,
Angelici Panis nivea ſub nube latentem
Myſta Patri Natum, Cælis plaudentibûs offers
Quis neget emeritā Te ſortitū eſſe CORONAM.
Talia cæpiſti juvenis primordia vitæ,
Annorum ſeriem propenſo Numine ductam,
Hactenus, ut plenam meritîs geſtisq; probarent.
Felix ingeniô rerum felicior uſu,
Ingenua præſtans ex indole, mente capaci,
Virtutum ſtudiiq; tenax, de Fonte vetuſto
Hauſiſti Cracii Parnaſſi docta fluenta.
Jamq; graves ſectata dies moreſq; Catonis
Pubeſcens ætas, Te magnis uſibus aptum
Eſt teſtata, diu nec diſtulit omina tanta;
Pieridum ſertis & Majeſtate decora,
Sed longas memoris cudit ſibi temporis horas.
Arte nova, eloquiô Cyneas æquando diſertos,
Et turbam Vatum quæ Phæbo agitante caleſcit
Atq; Sophûm, per quos naturæ panditur uſus.
Artibus humanis præhabens Cæleſtia dona,
Illam, ſupremam cui fas attingere Numen,
Quæ penetrat Divina ſagax, ac inclyta laudem
Auguſtumq; Dei ducit de Nomine Nomen,
Quæ, neq; fas vidiſſe oculis, fruſtraq: laborent,

Huma-

Humanæ ſuperæq; animis ſibi fingere mentes:
Sola docet, quæ fuſca Fides, probat ipſa ſuoq;
Obſcuris claram fundit de lumine lucem,
Theologis propriam ſapientiam ubiq; celebrem,
Ut conſummaſti; Myſtes poſt paulo futurus
Totum Te curis animô Cæleſtibus infers,
Et ſitiens Aras, ad Myſtica totus anhelas
Fercula, convivamq; Deum flammantib9 ardes
Incenſus ſtimulîs, donec lux commoda venit,
Reſponditq; Tuis de Cælo Gratia votis.
Thus adoleviſti Divis Altaria ſacra
Complexus, juſtus puroq; ſalutifer ore,
Auſa nefanda mali, ſævæ contagia labis
Aſpidibûs pejora docens, Tibi credita plebis
Pectora complebas fructu virtutis honeſtæ.
Præſtantes animi curas feliciús urgens
Delicio populi ne ſolúm poſſe videri.
Cenſerere, datum virtutibûs ut mage tantis
Principibus placuiſſe Viris omnino mereres.
Sarmatici ſublime decus columenq; Trionis,
Excedens pretium Lechææ gemma Coronæ,
Libertatis honos, Patrii frons prima Senatûs,
Celſus Avîs, Atavîs Magnis ab origine longa
WARSZYCIUS. Reges OPALINIUS atq; Potentes
Sangvine contingens, horū POTOCCIA Conjux,
Primorum Regni decorum Pandora Receptrix:
Inge-

Ingenii dotes præſtantes, atq́; Tuarum
Virtutum ſpecies mirati: pectore toto
Eccleſiæ, cujus ſervato jure Patroni
Sunt & erant, mox Te Rectorem rite dedere.
Ut Phæbus claro ſuper æthere lumina ſpargit,
Tunc meliús vultum niveum cúm celſiùs offert.
Sic probitas cultuſq́; Dei fulgentiús in Te
Exarſit merita magni ſplendoris in auge;
Ad quam Te ſoliô Virtus provexit eburno,
Doctrina nitidã manibùs geſtante Coronam;
Et Charites placido votum de corde ferentes,
Et cætus plebis voces ſuper æthera ſpargens.
Tanto cúm plauſu ſacras es inactus in ædes
Tecta Deûm Paſtore novo nituere recenti
Tegmine, & aſſurgens Templi pia machina tandẽ
Ivit in ornatas ædes, ſumptuq́; profuſo
Turpem ſqualorem deterſit, rudera texit;
Cûi nimiúm tenues impendis in omnia cenſus.
Ornamenta Tuos, vicinorumq́; Patronus
Templorũ. Per quæ nunquã Tua dogmata ceſſant,
Queîs ex exedris populum nutrire, piiſq́;
Artibûs implere eſt animus, certæq́; ſalutis
Commonſtrare vias, exemplîs atq́; docere.
Fructus honoris onus Tibi poſthac obtigit ultro,
Cura *Decanalis* multis peracerba laboris,
Quod dextrè comples felici ſidere munus.

Mul-

Multoties pennas volucres Tibi fervida Virtus,
Pernicemq́; dedit loca per prærupta volatum,
Perq́; ſitus varios, per tot diſtantia, totq́;
Invia tramituum, fluviisq́; rapacibus hauſta:
Dum vitam moreſq́; probos, actusq́; recenſes:
Templorumq́; decus, Paſtoraleſq́; ſagaci
Myſtarum excubias oculô ſcrutaris & urges.
Luſtra novem PAROCHUS peragens prope trina DECANUS,
Illuſtras vitam virtutibûs integer almîs,
Quæ decorant unum Te, plures porro bearent.
Hinc pietas, hinc alma fides, hinc neſcia fuci
Relligio, vitæq́; tenor ſincerus, & æqui
In toto jam ductus amor, probitaſq́; pudorq́;
Naſcenti jurata cohors, fiduſq́; ſatelles.
Hinc ſolidi vis judicii matura, ſagaxq́;
Ingenii rerum cauſas intrantis acumen,
Canaq́; primævi gliſcens prudentia luſtri,
Neſtoreæ laudem celebrant famamq́; ſenectæ.
Hinc quibus incubuit mors ultima linea rerum,
Confratrum vitâ ſociâ Tibi præſtò faventûm
Æternæ punctum poſſent ut adire ſalutis
Ocyùs, his fueras poſt mortem fidus Achates.
Ampliùs in ſenſum nolo peccare modeſtum
Hîc NEOMYSTA Tuum, cùm Tu laudanda patrare,
Quàm collaudari cupias magis, indeq́; mitto,

Ut fovet infractus labor & Te non data multis
Ætas vividior meritîs, vivacior annîs:
Nescia labentis senii, cui vivere idem, quod
Dulce fatigari, requies nescire quietem.
Quod terram meritîs, cælum virtutibûs auges,
Sæcula quod renovas, multis sacra gaudia pandis,
Mitto: Cliens pro Te sed talia vota profundo:
O Qui perpetua Mundum ratione gubernas
Terrarum Cæliq́: Sator, Qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisq́; manens das cuncta moveri.
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verùm insita summi
Forma boni, livore carens Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse
Mũdũ mente gerens, similiq́; ab imagine formans,
Perfectasq́; jubens perfectum absolvere partes,
In numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aût mersas deducant pondera terras:
Qui collapsa novas, seniô renovata resolvis
Grandævum tueare *Senem*, qui Virgine nati
Quinquaginta annos nondum numerantis JESU
Quinquaginta annîs Corpus Venerabile tractat.
Ex sacris manibus NEOMYSTÆ dulce novũq;
Delicium, lactans animas nectar, novus Infans
Tanquam de thalamo sponsus procedit JESUS:
Magne DEUS da quæso *SENI* renovare futuros
Feli-

Felices annos, ſucceſſus; ille ſuperſtes
Altaris ſancti repetens Myſteria ſancta
TIbI ſaCrIfICabIt hoſtIaM LaVDIs.

Pſal. 115. v. 17.

AD

MAIOREM DEI GLORIAM

AD

Cultũ ſanctiſſimæ EUCHARISTIÆ poſt Quinquaginta ſacerdotii Annos à NEOMYSTA Conſecratæ Catholicus Pòéta offert duo pura Anagrammata,

ex hoc

PROGRAMMATE

Hoc eſt enim Corpus meum. Hic eſt enim Calix Sangvinis mei novi & veteris Teſtamenti Myſterium Fidei. Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

ANAGRAMMA I.

Calvine non eſt rei figura. Luthere non eſt panis, eſt Corpus DEI Optimi Maximi effuſe ſemet ipſum mihi communicantis in cibum: noſce quo ritu & myſterio te reum redemit.

EPIGRAMMA.

Lumine videte deſtituti gratiæ
Fideiq; talpæ! voſq; cæcæ noctuæ!
Calvine! ſumitur quod in ſacramento,*
Figura non eſt ulla Myſticæ *rei.*
Luthere non eſt panis eſt Corpus Dei,

* Sc

Ut

Ut Optimi ſic *Maximi effusè mihi*
Communicantis ſemetipſum ſæpius
Animæ famem paſſæ ſalutarem *in cibum*,
Pænæ *reum quo te ritu & Myſteriô*
Redemit! homo fæx fæda, *noſce* criminum.

ANAGRAMMA II.

Ecce cor meum intus credit Chriſtum Immenſum & Omnipotentem ſub utraque ſpecie panis & vini ſumi realiter non in figura, ut malè ſentis ferox, imo impie hoſtis Fidei.

EPIGRAMMA.

Firmiter *ecce meum cor intus credit*, adorat
Immenſum Chriſtum cum bonitate Deum.
Et geſtis Mundo præclaris *Omnipotentem*
Sub ſpecie panis Corpus habere ſacrum.
Et vini verum ſub *utraque realiter* ore
Sumi corde coli, ſic docet alma Fides.
Non in conſiſtente *figura* quod *malè ſentis*,
Ut vis *hoſtis* iners, *impie* mente *ferox*.
Imò contemptor *Fidei* ſinè fronte, pudore,
Error is ac ſcelus eſt ſiſte timeto Deum.



